



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

31. An executores testamenti munus suum acceptare cogantur? Et an, quando executor, seu commissarius praesens, & tacens inuenitur assignationi officij, seu eius nominationi, acceptationem inducat? Et ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

nec impleri per alium; quia censetur electa industria personæ. *Secundò* dico, quòd hoc est limitandum, nisi certa rei derogatio, & certo loco facienda esset, quia tunc fortè posset alij committi. *Tertiò* dico, quòd hoc officium non transit ad hæredes; quia censetur electa industria personæ, nisi testator, qui executores constituit, hoc expresserit. *Quarò* dico, quòd si officium executoris committatur habenti dignitatem, transit in successorem in dignitate, quando committitur ratione dignitatis, secus si committatur ratione personæ. Ratio, quia quando primo casu committitur; non personæ, sed dignitati commissum censetur: dignitas autem eadem est, licet varietur personæ.

2. *Nota* quòd cognoscitur, an commissio sit nomine dignitatis, vel personæ, si adiciatur in commissione nomen proprium, siue solum, siue simul cum nomine dignitatis, vt dicendo, nomino Petrum testamentarium meum: aut, nomino Petrum Archiepiscopum Granatensem testamentarium meum, tunc commissio est nomine personæ: si verò tantum apponitur nomen dignitatis, vt, nomino Archiepiscopum Granatensem testamentarium meum, tunc commissio est ratione dignitatis, nisi institutus sit propinquus, quia tunc licet nomine non fuerit expressum, videtur ratione personæ, cum affectione propinquitatis factum. Et hæc omnia: vt dixi, ex multis Doctoribus docet Sanch, *loc. cit.* quem postea sequutus est Cardinalis de Lugo *de Iust. t. 2. disp. 24. sect. 16. n. 328.*

3. Sed circa præsentem, ne deseras videre Carpium *de exec. test. l. 1. c. 18. per totum*, vbi ponit, & distinguit plures casus, in quibus potest, vel non potest executor testamentarius committere munus suum alteri. *Primus casus* est, quando executor, vel commissarius assignatus fuit sine facultate delegandi, & tunc non potest. *Secundus casus* versatur si in voluntate commissarii delegatio relinquatur; quia iure improbat, si non fiat ad pias causas. *Tertius casus*, si in arbitrium, quia tunc valet. *Quartus casus*, quando ad pias causas committitur, siue in electionem, siue in voluntatem; quia ex magis recepta sententia valet. *Quintus casus* erit, si electio relinquatur in incertum de certis; quia tunc valet. *Sextus casus*, si committatur in incertum de incertis; quia reiicitur. *Septimus casus* constituitur, quando sola executio nudi facti iam à commissario declarati iniungitur: quia tunc admittitur. *Octauus casus* datur in formula à testatore assignata, relinquo talem executorem; & si nolit, vel non possit, valeat alterum delegate. Qui quidem casus latè, & doctè à dicto Carpio exponuntur, & declarantur.

## RESOL. XXX.

*An Executor testamenti à testatore nominatus teneatur acceptare officium, & ad id possit, cogi?*

*Et si sine causa non acceptet, an peccet mortaliter?*

*Ex quo inferitur peccare non accipientem officium arbitri, quando spes est, quod partes ad concordiam reducantur?*

*Et in casu, quod nominatus non acceptet munus Executoris, an tunc Episcopus sit Executor?*

*Et quamvis Executors habeant annum ad exequendum testamentum in foro conscientie, an excusentur à mortali, quando differunt solutionem debitorum, & legata defuncti? Ex part. 4. tract. 4. & Misc. Resol. 162.*

Sup. hoc in Res. seq. & in §. eius not. Sup. hoc in foro conscientie infra in Res. 12. §. 1. post medium.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & ad illum respondet Spino *in specul. testament. glossa 28. n. 18.* quòd licet non possit cogi acceptare officium executoris: at in foro conscientie si sine causa non acceptet, peccabit mortaliter, ex glossa in

*capite sicut 11. quest. 1. ver. usum. & ibi Archidiaconus, vbi docent peccare non recipientem arbitrium; vnde dictan glossam sequuntur Imola in cap. pastoralis, de officio delegati, in princ. & ibi Felinus numero 6. afferentes peccare mortaliter non acceptando officium arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reducantur.*

2. Sed ego puto quòd quando neque expresse, neque tacite acceptavit officium executoris, non solum non potest cogi, sed neque tenetur acceptare, neque peccabit renutiando, quia aliter hoc officium non esset voluntarium, contra communem Doctorum sententiam, & ita docet Sanchez *in opus. tom. 2. lib. 4. cap. 1. dub. 2. n. 4. & seq.* vbi etiam explanat, quòd executor dicatur acceptare, vel non acceptare tacite officium suum, & tenet cum Sarmiento *libro 8. selest. sup. libro 1. ff. de legat. 2. n. 12.* contra Padillam *in dictam legem numero 28.* non posse iudicem compellere executores testamenti ad officium accipiendum, etiam si executor sit consanguineus testatoris, quòd etiam mihi placet.

3. Notandum est etiam hîc quòd in casu supradicto, nempe quando executores nominati à testatore nolunt acceptare officium, tunc Episcopus est executor. Ita Sylvester *ver. testamentum 2. q. 2. dicto 1. Armilla per executor. n. 25.* Tabiena *eodem ver. q. 15.* Angelus *n. 21.* & Ancharanus *in c. Religiosus, de test. in 6. n. 2.* vbi dicit, quòd si testator assignet eum, qui esse nequit, vel is obiit, exequetur Episcopus.

4. Et tandem nota hîc obiter id quòd alibi etiam notauimus, quòd licet in foro externo executores habeant annum ad exequendum testamentum; hoc tamen non procedit in foro conscientie, & ideo executor & hæres, si cum possint, differant notabiliter soluere debita & legata defuncti, peccant mortaliter. Ita Nauarra *de restit. lib. 3. cap. 4. num. 165.* Nauarrus *in manuali cap. 25. num. 65.* quòd ita verum est, vt asserat optimè Palacios Rubcos *rubr. de donat. §. 65. numero 19. & 20.* Azcuedus & alij, quos citat & sequitur Sanchez *vbi supra, dubio 53. numero 8.* executores & hæredes non excusari à peccato mortali, quando differunt solutionem debitorum, & legatorum causa vendendi res defuncti maiori pretio, nisi differant vt rebus defuncti melius venditis copiosiores dentur elemosynæ, & augmentum elemosynæ est valde magnum, tempus autem tarditatis est valde breue, ita vt arbitrio boni viri melius sit tardare, certum est omnino supradictos non excusari quando differunt vt res melius vendantur vt hæredi prosint, quæ omnia notanda sunt à Confessariis, quia in hoc scio & multum doleo executores testamentorum multum peccare.

## RESOL. XXXI.

*An Executors testamenti munus suum acceptare cogentur?*

*Et an, quando Executor, seu commissarius presens, & tacens inuenitur assignationi officij, seu eius nominationi, acceptationem inducat?*

*Et an hoc locum habeat in consanguineo presente, & tacente, vel si Executor, aut commissarius presens, & tacens designatus fuit ad erectionem Ecclesie, Monasterij, vel ad puellas maritandas, &c?*

*Et an si Executor officium non acceptet, amittat eo ipso premium à testatore ei relictum ob tale officium?*

*Imò, & legatum quodcumque relictum ei fuerit à defuncto?*

Et

Et tandem dubitatur, an sit aliqua poena in iure statuta his, qui Executoris Officium non accipiunt? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 27.

1. R Espondeo negatiuè cum Molina de Iustit. tom. 1. tr. 2. disp. 248. & aliis communiter, quia officium executoris à partibus electi non est publicum, & sic nullus inuitus id admittere compellitur, nisi expressè, vel tacitè acceptauerit tale munus, Nota verò quòd tunc dicitur tacitè acceptare, quando aliquem actum fecit, ex quo posset præsumi mandatum acceptasse, de quibus latè Carpius de exec. ref. lib. 1. c. 17. & alij.

2. Non tamen, quòd quando executor, seu commissarius præsens, & tacens inuenitur, assignationi officij, seu eius nominationi, in quo Doctores magis communiter conueniunt, ex præsentia, & taciturnitate acceptationem non induci, ita Barbacia communem asserens in disto cap. Ioannes, de testam. n. 11. & alij. Vnde temperanda est Petri de Peralta asserio, in dist. l. 1. de legatis, n. 61. in illis verbis: & quando acceptasset etiam tacitè in ipsius officij delatione per ipsius præsentiam, esset cogendus omnimodo exequi, ne testator deciperetur; nam Peralta hinc subintelligendus est, si alias per alios actus constaret præter præsentiam executoris acceptare voluisse; quia ex ea sola minimè inducitur, iuxta superiorem Doctorem communem resolutionem.

3. Verum licet hæc omnia sint vera, limitantur, vt locum non habeant in consanguineo præsentè, & tacente; quia ex taciturnitate cum consanguinitate simul iuncta scribentes acceptationem officij constituunt, quòd probatur ex l. si filius familias absente 18 ff. ad Senat. cons. Macedonianum, ibi, debet pater si actum improbat, continuò testationem interponere contrariæ voluntatis. Ex qua communiter Doctores colligunt approbationem patris induci ex receptione literarum filij, eiusque taciturnitate, si non contradicat, seu protestetur.

4. Limitantur Secundo, si executor, seu commissarius præsens, & tacens designatus fuit erectionem Ecclesiæ, Monasterij, redemptionem captiuorum, ad puellas maritandas, ad suffragia pro mortuis eroganda, seu ad aliam quamlibet piam causam exequendam, in quibus euentibus taciturnitatem cum pia causa coniunctam (absque dubio) per se consensum, & acceptationem inducere libenter admittam. Quæ omnia latè comprobat Carpius loc. cit. n. 27. & sequens. Sanchez num. 8.

5. Et tandem nota, quòd si executor officium non accipit, amittit eo ipso præmium à testatore illi relictum ob tale officium: imò, & legatum quodcumque relictum ei ab eodem defuncto; quòd tamen quoad alia legata non relicta in præmium non procedit, quando constat testatorem hoc ei relictum fuisse, etiam si scierit, quòd tale officium non acceptaret, vt docet Sanchez n. 12. Aduertit tamen bene Molina cum alijs, §. Executor, legata alia, quæ non sunt in præmium relicta, non amittenda ante latam sententiam; quia leges, quas asserit, hoc imponunt in poenam reiecti muneris: poena autem ante sententiam non debetur. Obferuat etiam, §. quando verò, id, quòd relictum est in præmium, si vnus ex executoribus munus non accipit, cedere alijs executoribus munus non nominatis acceptantibus, argumento legis vineæ, §. vbi autem, C. de caducis tollendis, & quia sicut diminuto onere diminuitur portio, ita accrescente onere alijs socijs, debet eis accrescere portio. Et hæc omnia docet Cardinalis de Lugo vbi supra.

6. Non deseram tamen adnotare quòd supra dictis difficulter adheret Pater Vvadingus tractat. de contrah. disp. 4. dub. 13. §. 4. n. 5. vbi sic ait: Dubitatur an Tom. V. I.

fit aliqua poena in iure statuta his, qui executionis officium non accipiunt? Respondeo nullam esse statutam, vt testatur l. si quis senile brum ff. de religiosis.

7. Doctores autem passim docent talem ipso iure priuari emolumentis, quæ sunt ipsi relicta in testamento, & ita Couarruias in cap. Ioannes, de testam. n. 3. & post eum Molina de Iustitia, disp. 248. & ante eos Bartolus l. 1. ff. de legatis 2. Sed sanè nullum videtur esse in iure huius doctrinæ fundamentum, quia quæ iura citantur, & præsertim ex Authenticis de hered. & falcid. & de Ecclesiasticis titulis, agunt de hereditate, vel legato acceptato expressè, vel tacitè, quando scilicet hæres, vel legatarius non volunt tempore assignato voluntatem defuncti implere, & de talibus est specialis ratio. Cum enim agnoscendo hereditatem, vel legatum contraxerint quodammodo cum testatore de voluntate implenda, & tamen implere noluerint, nec stare contractui, meritò priuantur omnino, quòd testator ipsis reliquit. Et quidem absque vlla dispositione iuris ex sola præsumpta mente testatoris deberent amittere, quòd relictum est in præmium officij executoris, sed in alijs legatis alio titulo relictis ista ratio non militat. Nihilominus tamen propter auctoritatem videtur admittenda sententia communis, quòd scilicet ex sola non acceptance perdat legatum. Sed distinctionem, quam adhibet Molina, quòd scilicet ea sola legata auferantur, quæ sunt relicta intuitu executionis, non probò: malo enim adherere Bartol. loco citato, qui duo tempora distinguit legum: nam secundum ius antiquum ff. videretur admittenda distinctio Molin. sed non secundum ius nouum Authenticarum, cum in citata Authentica de her. & falcid. omnia proflus, quæ sunt in testamento assignata, auferantur propter legitimam filij. Huc vique Vvadingus.

RESOL. XXXII.

Ac saltem in foro conscientia Executors teneantur accipere munus impostum sub mortali peccato? Ex quo inferitur peccare non accipientem Officium arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reduceret. Et quamuis Executor non possit compelli ad acceptandum munus, an hoc locum habeat in Religiosis, si compellantur à suo Superiore? Ex p. 8. tr. 5. Ref. 28.

1. R Espondeo quòd Didacus Spino in specul. res. Stam. gl. 28. n. 18. asserit, quòd licet executor non possit cogi acceptare officium executoris testamenti; at in foro conscientie, si sine causa non accipret, peccabit mortaliter, & probat ex doctrina glossæ, c. sicut 11. q. 1. vers. osum, & ibi Archidiaconus vbi dicunt peccare non recipientem arbitrium, quam glossam sequuntur Imola cap. pastoralis, de offic. de leg. in princ. & ibi Felinus n. 6. dicentes peccare mortaliter, non accipiendo officium arbitri, quando spes est, quòd partes ad concordiam reduceret.

2. Sed hoc ita vniuersaliter dictum minus verum est, quia sic non esset hoc officium voluntarium, contra omnes Doctores citatos. Vnde dicendum est, quòd tunc tantum peccabit non accipiendo siue officium arbitri siue executoris, quando ad id posset per iudicem compelli. Ita Sanchez in opusc. 1. 2. lib. 4. c. 1. dub. 42. n. 4. & 5. & post illum Cardinalis de Lugo de Iust. 2. disp. 24. sect. 16. n. 329. qui tamen rectè hoc limitat, nisi ex charitate teneretur, quia sine graui detrimento suo posset proximi rebus consulere, in quibus alias grauius proximus pateretur.

3. Norandum est tamen hinc obiter, quòd licet executor non possit compelli ad acceptandum munus, vt

